Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8277
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

carnem meam et bibit sanguinem meum habet vitam eternam Ideo dicit dominus
Amen amen dico vobis In veritate in vitate ut non figuratiue sed vere intelligatur
quod dixit Nisi manducaueritis carnem Et ad maiorem veritatis expressionem
adiunxit Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus
Ego vero qui vitam eternam habere desidero carnem xpisti veraciter comedo
Et sanguinem eius veraciter bibo Illa vtique carnem quam traxit de virgine et
sanguinem quem fudit in cruce Ego corde credo et ore confiteor quod ipsum dominum
meum Ihesum xpistum in hoc sacramento manduco Illa fretus auctoritate qua dicit
Qui manducat me viuit propter me Non enim cum manducatur per partes diui
ditur nec laceratur sub sacramento sicut caro in venditione sub macello Sed illesus
sumitur et integer manducatur Viuit manducatus quia surrexit occisus
manducatus non moritur quia surrexit non moriturus Xpistus resur
gens iam non moritur Mors illi vltra non dominabitur Quod enim mortuus est peccato
mortuus est semel Quod autem viuit viuit deo Sicut enim vidua Sarepta
na cottidie comedebat et numquam diminuebatur farina De ydria et
oleum de lechito Sic vniuersalis ecclesia cottidie sumit et numquam consumit
carnem et sanguinem Ihesu xpisti sub diuisa specie sacramenti Sic ergo corpus xpisti
quottidie manducatur et nec deficit nec desinit Ita panis cottidie transit
in corpus xpisti sed ipsum corpus non proficit nec accrescit Non enim de pane vel
vino materialiter formatur caro et sanguis Sed materia panis et vini
mutatur in substantiam carnis et sanguinis Nec addit aliquid corpori sed
transsubstantiatur in corpus **Quod sub tota forma totum corpus existit**

Verum an partes in partes an totum in totum an totale in totale transeat nouit ille qui facit Ego quod residuum est igni comburo Nam
credere iubemur discutere prohibemur Si tamen quererentur instet inquisitus
Ego salua fide concesserim quod totalis panis in totale corpus convertitur
Ita quod nulla pars panis transit in aliquam partem corporis Credo autem salua
fidei maiestate quod vbi panis est consecratus sub tota specie totum corpus
existit Sicut enim miraculose tam magnum corpus sub tam parua forma
concluditur Ita miraculose totum corpus in singulis partibus dimittitur Quod
inde conuincitur Quoniam in quotcumque partes species diuidatur sub singulis
partibus totus est xpistus Totus in magno totus in paruo totus in in
tegro totus in fracto Sed tamen quod dicitur a quibusdam Quia quamdiu
species panis integra perseuerat sub totali specie totale corpus
existit Vbi vero diuiditur in singulis diuisionibus incipit esse totum
Sicut in speculo dum est integrum vna tantum inspicientis apparet ymago
Sed eo fracto tot apparent ymagines quot sunt in ipso fracture
Porro tamen deus illam virtutem verbis contulerit ut ad prolacionem corporis
corpus dominicum incipiat esse sub specie sacramenti Nec illa verba proferant
in fractione diligenter attendat et ipsi intendant vnum corpus xpisti quod ante fractionem

42